

103.
103.
29
1623
38
Quod felix sit.

De

AMPLIFICATIO-
NE RERUM PUBLI-
CARUM,

DISPUTATIO POLITICA,

SUB PRÆSIDIO

Cl. & Consultissimi

JOANNIS AVENARI, J.U.L.

Eloq. P.P.

Publicè proposita

â

JOANNE MOCHINGERO
DANTISCANO.

In illustri WITTEBERGA

eventilabitur

in Auditorio maximo horis matutinis

ANNO 1623. die 4. APRILIS.

WITTEBERGÆ,

Exscripta typis CHRISTIANI THAM, Acad. Typogr.

ANNO M DC XXIII.

AMPHIBIOTICATIO

NE REVERUM

CARUM

DE

DE

DE

JOHANNES AVERARII

DE

DE

JOHANNES AVERARII

DE

DE

DE

DE

DE

DE

JOHANNES AVERARII

DE

ca
ca
ca
ni
ap
fun
ti
di
gn
de
bi
ipl
ho
on
tar
da





MAGNIFICIS

SENATUS DANTISCANI

PROCERIBUS

PATRIBUS PATRIÆ

ET

MUSARUM FAUTORIBUS

MAGNIS.

MESTRIS, BURGGRAVI REGIS
STRENUË, VIRI PRÆCONSUL-
LES & CONSULES AMPLISSI-
MI, NOBILISSIMI, MAGNIFI-
CENTIIS hoc exercitium disputationis Politi-
cæ Academicum, non sine certis prægnantium
causarum momentis dicare debui. Ut taceam e-
nim illud sacrum Patriæ debitum, quod tamen
apud me sacrosanctum est, cui omnes obstricti
sunt & esse debent; ut enim non nobis solùm na-
ti sumus, sed ortus nostri partem patria sibi vin-
dicat, partem parentes, partem amici, ut ait ma-
gni eloquii TULLIUS: sic non solum nobis stu-
demus, sed studiorum nostrorū partem patria si-
bi vindicat, partem parentes, partem amici, quod
ipsum patriæ debitum magneticā quadam vi
homines non trahit, sed rapit in amorem sui, ut
omnia patriæ bona bis bona esse videantur. Hoc
tantū addo, ob quod maximè V.M. dedican-
dam hanc de Reipublicarum Amplificatio-

A 2

ne dif-

ne disputationem esse censui. Eam scilicet cum
conscriberem tacito semper voto acclamavi, FE-
LICITER Patriæ florentissimæ, in quâ omnes
ferè hos Politiarum amplificatarum modos ad-
hibitos esse deprehendi, maximè si conjungan-
tur ex historiis superiora Patriæ cum præsentibus
secula. Nolo verò hîc meis ipsis verbis in am-
plissimas Patriæ laudes decurrere, ne illius adu-
lator accusari possim. Peregrinorum malo ad-
ducere celeberrima laudū elogia. De eâ ab ipsis
Musis laureatus Poëta Eobanus in suâ Prussiâ sic.

*Classibus hæc portus, & mœnibus inclyta magnis
Et minor est Venetis Noriciisque prior.*

6. 3. v. 8.

Ob mercaturam audit passim apud Historicos
celebre septentrionis Emporium & opulentissi-
ma urbs DANTISCUM. Ædificiis publicis &
privatis est splendida, mœnibus & vallis ab una
parte, ab altera aquis firma, ut de eâ verè dici
possit, illud propheticum Nahumi, quod civita-
ti No adscribit. Sita est inter rivos & aquis cir-
cumdata, eî præmunitio est mare & à mari est
murus ejus. Non longius in patriæ laudes eva-
gabor, exorietur aliquando æmulus Lipsii (ne-
que enim despero de nostratium Dantiscano-
rum magnæ spei studiis) qui admiranda Urbis
Dantiscanæ literis mandabit. Præterire tamen
non possum, ne injurius & ingratus sim in com-
modi-

moditates Patriæ, quæ eâdem distantia octua-
ginta circiter milliaria distat à Lubeca, Stockhol-
ma, Cracovia, Lublino, Lipsia & Vratislavia, *Observa-
vit Kecker-
mann. in
system. Ge-
ograph. lib.
1. c. 11.*
id quod sanè admiratione non caret, nostram
hanc Patriam DANTISCUM æquali distantia à tot
regiis & primariis urbibus velut in centro quo-
dam sitam esse, ut Deus sibi videatur hanc urbem
elegisse ad maximas ex omnibus locis opportu-
nitates sibi comparandas. Hoc meum tacitum
votum apud vos PATRIÆ PATRES, qui Patria
animata estis, qui ad ejusdem sedetis governa-
cula, & eandem prudentissimis vestris consiliis
in pristino amplificationis flore conservatis, pu-
blice oblata hac disputatione deponere volui.
Etsi verò, tum tenuitatis meæ mihi benè consci-
us sim, adeo, ut hæc ipsa me terrere debuisset, ne
cum hac scholastica tenuioris eruditiunculæ dis-
putatione in conspectum V. M. venirem, qua-
rum edecumata est prudentia Politica, ex mul-
tis libris hausta, peregrinationibus perfecta, con-
siliis absoluta; tum optimè noverim, disputati-
ones de his discursibus Politicis, non esse de stu-
diis meis, quæ Dei Ecclesiæ & seminariis Eccle-
siarum & Rerum publicarum scholis devovi: ta-
men in illo altero erigit me solita humanitas V.
M. quâ similia aliorum chartacea munera bene-
volè suscipitis, in hoc verò commodò mihi oc-

currit illud SALUSTII: Pulchrum est Reipublicæ benefacere, etiam benedicere haut absurdum est. Illud cum non possim, hoc ex animo volo, & ceu Ecclesiæ, sic Reipublicæ, maximè Patriæ, studiis benedicendi, quod à studioso pietatis non alienum, prodesse percipio. Itaq; his caussis fretus *Vestris Magnificentis* hanc meam, disputationem dedico, & cum studiis meis commendo. Magnus Dominus Zebaoth conservet in eodem flore Patriam nostram florentissimam, aperiat & effundat super illam thesaurum benedictionis suæ & gratiarum suarum immensum, imperet paci, ut multiplicetur super illam. Confirmet vectes portarum tuarum Ô DANTISCUM. Benedicat filiis tuis in medio tui. Determino tuo Pacem & adipe tritici satiet te. Adsit etiam Deus benedictus Spiritu suo vestris, VIRI MAGNIFICI, consiliis, in quibus & Patriæ & omnium nostrum salus sita est, & omnium *Vestrarum Magnificentiarum* salutes multum magnificet. Sic precabar in celeberrima Wittebergâ Anno Christi 1623. in ipsa Dominica Lætare.

VV. MM. & AA.

devinctissimus

JOHANNES MOCHINGER
Dantiscanus Autor & Respondens.

PRÆ-



PRÆLOQUIUM THESIUM.

Non insolens est comparatio corporis humani cum Politia, seu Republica, tum in Scripturâ sacrâ. Esaiæ i. v. 5. & 6. Daniel. 2. v. 31. 32. & 33. tum apud varios autores profanos, apud Ciceron. pro Aulo Cluent. ut corpora nostra sine mente, sic civitas sine lege suis partibus, ut nervis ac sanguine & membris uti non potest, & apud Tacit. lib. i. annal. qui unum ait esse Reipublicæ corpus, atq; unius animo regendum, & adesse caput Reipublicæ oportere. Sic elegantissimus est apologus Menenii Agrippæ, quem adhibuit in seditione plebis Romanæ concilianda, desumptus à corporis humani partibus, quæ conquestæ sunt de voracitate & ignavia ventris, ut refert Plutarch. in Coriolano & Valer. Maxim. lib. 8. c. 9. Hinc Florus in prologo populum Romanum quasi hominem considerandum esse scribit. Videatur etiam effigies corporis humani depicta cum formâ Reipublicæ collata in Polit. Livian. Facii parte i. arte ii. ubi in capite ponit Principes, iudices & præsides, in Thorace senatum, in ventre Quæstores & Commentarienses, in brachio dextro officiales, in sinistro milites, in dextro latere qui ad latus sunt, in sinistro Palatinos lateranenses, in pede dextro agricolas, sinistro opifices. Hujus verò collationis ut ut multa membra dari possent, cum corpus humanum civitatis benè constituta imago quadam sit & præstantissima forma Bodin. de repub. lib. 6. c. 4. p. 1099. illud tamen unicum tantum addere placet, quod ad nostrum facit institutum. In
sche-

*scholis Physicis Anthropologia proponit hominis genera-
tionem, conservationem, & destructionem, quæ vel acci-
dentalis est per varios morbos, vel essentialis per mor-
tem; sic schola Politica proponunt Politia primam Fun-
dationem, Conservationem, Amplificationem, Curatio-
nem per Medicinam Politicam & Interitum. Quam
methodum ut Reipublicæ aptissimam observat methodicè tra-
ctat Jacobus Bornitius in Partitionibus Politicis,
quas ex trecentis autoribus & commentatoribus politi-
cis, partim Latinè & Gracè, partim Hispanicè, Italicè
& Gallicè scriptis congeffit, ut ipse in præfat: ad Lecto-
rem profitetur. Posthabita autem Fundatione Conser-
vatione & Curatione Reipublicæ, de Amplificatione ejus-
dem agere jam est animus. Sit ergo methodus hæc ge-
neralis thesium.*

Amplificatio Reipublicæ in eo consistit, ut Res-
publica reddatur Magna & Potens, id est, locuples &
nummosa *Volk, Gut und Geldreich.*

Modi Amplificandi sic Reipublicam sunt vel ge-
nerales, quæ vel supernaturalis Benedictio DEI, vel
naturalis Coloniarum deductio: vel speciales, qui in
specie Reipublicam reddunt vel populosam vel
nummosam, quod fit vel internè vel externè.

Interna Amplificatio Reipublicæ, quæ rectius di-
citur Melioratio, consistit tum in augmento popu-
lorum, quod fit vel familiarum propagatione, vel
peregrinorum commigratione & receptione; tum
in augmento nummorum publicorum in ærario, pri-
uatorum in bonis civium.

Quo pertinet multitudo & splendor ædificiorum,
quæ ferè Reipublicæ magnitudinem sequuntur.

Exter-

Externa Reipublicæ Amplificatio consistit in Ter-
ritorii dilatatione, quæ fit vel vi, vel sine vi. Sine
vi imperium dilatari potest per spontaneam extero-
rum oblationem fœdera &c. cum vi amplificatur
Respublica per bellum.

Et hi sunt modi, quibus Respublica incrementum
sumere potest, quos diducemus in hac disputatione,
præmissis modis specialibus & postpositis generali-
bus ob causas certas. Hinc ergò positiones has
pono.

POSITIO PRIMA.

Respublica constituta debet amplificari.

UT corpus humanum non tantum laborat in sui quali quali conservatio-
ne, sed etiam eò tendit, ut accrescat & corpulentius ac habitius fiat;
sic Respublica non tantum debet conservari in primo statu fundato, sed &
conservata amplificari. Ut autem Respublica posset esse bona, etiamsi
non sit tam ampla magna, & potens. Imperii enim laus non latifundiis
aut regionum amplitudine, sed virtutis finibus terminatur Bodin. lib.
4. de repub. c. 1. p. 578. Sic Ragusia civitatum fere omnium, quæ sunt
in Europâ minima, non minus Respublica dici debet, quam Turcarum, aut
Tartarorum aut etiam Hispanorum, quorum imperia iisdem finibus, qui-
bus solus cursus terminantur. Idem lib. 1. c. 2. p. 15. tamen non aequè bene
esse posset. Unde rectissime Danæus in lib. 4. c. 1. Politic. Christi-
an. distinguit inter illa, quæ Regnis sunt necessaria, sine quibus neq; op-
pidum, neq; Respublica subsistere vel conservari potest; & inter ornamenta
Reipublicæ, quæ decus & splendorem Reipublicæ asserunt ex dialogo Pla-
tonis, qui Politicus inscribitur, ubi dicit Reipublicæ alias esse αἰτίαις
causas, in quibus Politia ratio, vis, natura & velut essentia posita est, alias
συναιτίαις concausas, quæ faciunt εἰς τὸν τῆς πόλεως κόσμον, ad ci-
vitatibus ornamentum, in quibus concausis consistit Reipublicæ amplificatio.
Cujus admonentur Cæsares nostri, gloriosissimo titulo suo, cum Augusti
& Propagatores Imperii, allezeit mehrer des Reichs indigitantur. Kirch-

B

ner.

ner. disput. de Repub. 15. thes. 1. lit. a. ut sic ipso nomine, velut alio
hic adjectis Pius &c. sui officii admoneantur, ut vult glossa in Proœm.
Digest. Nomen enim hoc Augusti ab augendo imperio sumtum esse placet
Accursio Egesippo & Eutropio. Contrarium enim facientes Impe-
ratores non Augusti ab augendo, sed Angusti ab angustando sines Romani
imperii possent appellari Besold. in polit. lib. 2. c. 8. n. 25. ex En-
gelbert. Abbat. Admontensi. Contradicunt tamen alii huic Ety-
mologia, quasi hoc nomen Augusti primum fuerit Octavio impositum.
Sueton. in Octav. c. 7. & deinde successoribus usurpatum dictum ab au-
gurio, quod auspiciato & divinitus eligerentur. Mynsing. & Wesenb.
ad proœm. institut. super hoc nomen. Videatur etiam Julius Cæ-
sar Buleng. lib. 1. de Imperat. Roman. c. 17. Vocula autem semper ad-
iuncta nomini Augusti ex mala distinctione Epigraphes Justinianeæ est, ubi
commate annecti deberet semper cum voce præcedente Triumphator, non
sequente Augustus hoc modo: Victor ac Triumphator semper, Augustus &c.
ut notavit Goldastus. Quamvis verò hæc ita sint, tamen omnibus Rei-
pub. curatoribus hoc incumbit studium, ne imperium patiarur decremen-
tum, sed ut majus assumat incrementum, cujus gradus tum perfectus, si
nempe Respublica & populus, πολυάνθρωπος (sicut Hispani venientes
cum Philippo II. in Flandriam, eam ob pagorum populiq; frequentiam
perpetuam & πολυάνθρωπον urbem esse dixerunt. Lanf. in Con-
sult. pro German. p. 102. ex Mercat.) & nummis dives sit. Sic
nempe & in statu pacato & in turbato felix erit. Tempore pacis enim
ubi magna populi frequentia, ibi multitudo commerciorum, opificiorum
& omnium, quæ ad eminentiam Reipubl. spectant. In multitudine po-
puli est decor Regis, at defectu nationis contritio dominatoris, ut loqui-
tur in prov. c. 14. v. 7. & 8. Salomon. Cujus amplissimum populum vi-
de in lib. 1. Reg. 4. enumeratum: & ubi pecunia, ibi rerum geren-
darum nervus est. Nam Reipubl. nervi consistunt in pecuniis, ut vetus
est proverbium, & sine sumtibus nulla potest consistere Respubl. opus-
que ei opibus est, sine quibus nihil fiet, quod est opus. Tempore bel-
li verò Respublica populosa & nummosa facillimè & citissimè (cum
solum tantum pede percusserit, equitum peditumq; turmæ erumpent,
ut gloriosè de se jactitavit Pompeius) multos potest congregare mili-
tes, sine quibus bellum geri non potest. Sicut Apophtegma Caro-
li V.

li V. fuit, ut refert Chytræ: in Saxon. Nervos belli esse milites com-
meatus & pecuniam. Milites enim venales animas & corpora venalia
habent, & spe menstrui æris ad extrema se offerunt, cum illis vita suppli-
cium & mors solatium esse videatur. Hoc prudentissimè Utopienses ob-
servant, qui ad bellum gerendum thesaurum inestimabilem servant, ut
in extremis periculis præsidio sit, potissimum quò milites externos (quos
libentius, quam suos cives discrimini objiciunt) immodico stipendio con-
ducant, gnari multitudine pecunie hostes ipsos plerumq; mercabiles &
vel proditione vel infestis etiam signis inter se committi, ut scribit sapi-
entissimus Morus in Utopia lib. 2. Nec immerito pecunia spiritus
vitalis belli à Lipsio lib. 5. Polit. c. 6. nervus belli ab aliis multis dicitur
(non obstante contradictione Machiavell. & Besold. lib. 2. cap.
7. n. 15. que facile conciliari potest) & ventriculus belli à Botero &
olim à T. Quintio apud Plutarch. in Rom. apophteg. qui equi-
tes ac pedites armatos manus & crura ducis appellabat, pecuniam verò
ventrem. Unde ludebat in Philopoem: Achaorum ducem pecuniarum
indigum & tamen multos habentem equites & pedites armatos. Phi-
lopoemen inquit, crura & manus habet, ventrem non habet. E sum-
ma ergo Reipublicæ salute est, ut sic amplificetur. Salus autem Reipu-
blica semper debet promoveri. E. & Respubl. debet amplificari, id quod
primo concludendum erat, scilicet hoc quod Cicero scripsit in 5. de
Republ. è quo libro propria sua verba citat lib. 8. ad Atticum Epist.
II. ubi inquit: Ut gubernatori cursus secundus, medico salus, Impera-
tori victoria: sic moderatori Reipubl. beata civium vita proposita est, ut
opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, virtute honesta sit Respubli-
ca. Jam progredior ad modos amplificandi.

II.

Familiarum propagatio amplificat Rempu- blicam.

Bodinus πολιτικῶτα] & καὶ πανσοφῶτα] & (ut eum nominat
Tilem in discurs. Philolog.) definit Rempublicam, quod sit familiarum
rerumq; inter ipsas communium, summa potestate ac ratione moderata
multitudo. Si ergo Respublica est multitudo familiarum, earundem pro-

pagatio erit necessaria ad Rempublicam constituendam. Una enim domus nunquam constituit Rempublicam, sed tres ad minimum familiae, quemadmodum tres faciunt collegium l. Neratius 85. D. de V. S. & paucioribus, quam tribus personis familia constitui non potest, ut expresse rescribit Ulpian. l. de testatio 40. §. 3. D. eodem. Unicus servus familiae appellatione non continetur, ne duo quidem familiam faciunt. Tres ergo familiae, nec pauciores ad civitatem constituendam necessariae sunt. Bodin. lib. 1. c. 2. Ubi verò amplificatio Reipublicae debet fieri, plures requiruntur familiae, quae sunt veluti seminaria, officinae ac rudimenta rerum omnium publicarum. Familia verò duplex praecipue est consideratio: Oeconomica & Politica. Utriusque propagatio amplificat Rempublicam. Familia Oeconomica est collectio trium societatum Oeconomicarum γαμικῆς πατρικῆς & δεσποτικῆς. Omnes haec tres maxime faciunt ad augendam Rempublicam, maxime prima conjugalis. Conjugium enim est principium civitatis constituendae hominum officina, seminarium Reipubl. amplificandae, & immortalitatis quadam imago, quae humanitati perpetuitatem largitur. Etenim idcirco filios filiasve concipimus atque edimus, ut ex prole eorum earumve diuturnitatis nobis memoriam in aevum relinquamus, ut loquitur Justinus in l. liberorum 220. §. 3. D. de V. S. cuius finis est, relinquere patriae cives post se, simili modo, quo Plato dixit. Finem conjugii esse relinquere Deo cultores post se. Vita enim à majoribus accepta, vicissim quasi tæda ardens posteris tradenda, ut loquitur Plato lib. 6. de legib. & natura nobis, quemadmodum nascendi, ita gignendi legem scribit ex dicto Furii Camilli apud Plutarch. in Camill. Unde Princeps (& sic omnis Magistratus) curet, ut honesta & Reipublicae utilia conjugia sanciantur, ut monet in Canon. 1. & 3. system. Polit. lib. 1. c. 11. Keckerman, ut cives liberis operam dent spe premiorum privilegiorum & immunitatum proposita, & metu poenarum indictarum, si qui matrimonia & proles propagationem fugiant aut impediunt Bornit. in partit. lib. 3. p. 116. Hinc patres familiae excusationem à tutela & cura habent ob trium liberorum incolumium numerum l. 1. C. qui nume. liberor. excusant. Et favorabilem causam apud Divum Hadrianum liberorum Albinii filiorum numerus fecit, cum ampliari imperium hominum adjectione potius, quam pecuniarum copia malit l. 7. §. 3. D. de bonis damnatorum. Huc pertinent etiam privilegia dotis. Nam publice

blicè interest, dotes mulieribus conservari, cum dotata esse feminas ad
subolem procreandam, replendamq; liberis civitatem maximo sit necessa-
rium. l. 1. D. de solut. matrimon. & de matrisfamilis loquitur Justinianus
l. 12. §. 1. C. qui potior in pign. hab. Quis enim earum non misereatur pro-
pter obsequia, quae maritus praestant, propter partus periculum, & ipsam li-
berorum procreationem, pro quibus multa nostris legibus inventa sunt pri-
vilegia. Hoc observarunt praestantissimi Nomothetae, & Rerumpublica-
rum gubernatores. Lycurgi instituto apud Spartanos in coelibes poena fuit
constituta. Inprimis tempore brumae ex Magistratum edicto jubebantur
forum vestibus spoliati obire, deinde ipsi in sese probrum ingerebant, can-
tilenam de crimine coelibatus & poena ejus clara voce concinentes, tertio
excluebantur à spectaculis Gymnicis, ubi virgines nude decertabant,
denique honore debito senibus, senes coelibes privabantur. Keckerman.
in disput. de Polit. Spartan. c. 10. can. 8. Apud eosdem vero, qui tres
genuerat liberos à custodia munere liber fuit, qui quatuor ab omnibus o-
neribus. Idem lib. 1. eod. can. 10. Sic Romae premium πολυπαιδείας
constitutum fuit, ut notavit Alex. ab Alexand. Genial. dier. lib. 4.
c. 8. siquidem cui tres erant liberi vocatio muneris, cui plures libertas do-
nabatur. Quin etiam praeturas, quaesturas & consulatus, honoresq; &
Magistratus Romani veteres, nisi parentibus plurium liberorum in comitiis
dedere. Quare exemplis palam factum, plures candidatos, cum ad comitia
& campum descenderent, fictis adoptionibus liberos sibi pessimo more e-
mentitos fuisse. Sic apud Persas secundum bellicam fortitudinem potior du-
citur numerosa sobolis procreatio, & illi, qui quamplurimos liberos edide-
rit, huic rex, tanquam strenuum quippiam praestiterit, singulis annis mu-
nera mittit. Herodot. in Clio. m. p. 62. n. 25. Interim tamen non ita
multitudini liberorum studendum est, ut propterea alteram superinduce-
re primae uxorem licere dicamus. Besold. lib. 1. c. 10. n. 21. qualis mos
receptus fuit Persis, uxores ducere quamplures, verum & pellices alere
non pauciores, atq; id quaerendorum liberorum gratia & sobolis propagan-
da, quando & reges quotannis premia in eos conferunt, quibus ma-
jor filiorum numerus. Coel. lib. 18. c. 18. Sic Athenienses ob civium pau-
citatem, cum augere urbem vellent, decreverunt, ut unam civem ducerent,
atq; etiam ex meretricula susciperent liberos. Zwinger. in theatr. p.
884. ex Suida, quod & Julius Caesar decrevit, ut liberorum quaerendo-

rum causa, quot vellet quisq; Roma ducere uxores posset. Idem ibid. quæ
certè salva verbi divini autoritate concedere non possumus. Nec obstat
exemplum Patriarcharum πολυγαμῶν, cum hæc exempla fuerint con-
tra regulam matrimonii instituti. Legatur Dominus D. Franzius de
polygam. in Augustan. Confess. disput. 7. de bonis operib. & in
Vindiciis pro eadem. An verò cives ad matrimonium compelli possint,
cum Reipublica intersit, ut conjugia frequententur querit cum Arniseo
Besold. lib. 1. c. 10. n. 19. qui videantur, ut & elegantissimus Kecker-
man. de hac re discursus in de Repub. Spartan. c. 10. can. 8. quod
factum fuisse à Cretensibus invenio, qui è grege juvenum deligebant for-
mâ conspicuos, quos ad uxores ducendas propagandamq; sobolem lege
compellebant apud Plutarch. in Lycurg. Accusatur hic autem meri-
tò Aristoteles & Plato à Bodin. lib. 5. c. 2. p. m. 822. qui ne plures
nascerentur (constituit enim Aristot. certum numerum in Republ. civium
decem millia. Plato verò quinque millia & quadraginta) abortus illis fieri
placuit, quod statuit Plato lib. 8. de legibus & Aristoteles in po-
lit. lib. 7. cap. 16. (quamvis casus excuset Aristotelem, quod non ponat
regulam, sed recenseat consuetudinem nonnullarum gentium) ubi scri-
bit. Si multitudo tanta prolis alicui contigerit, ut duplicatus sit filio-
rum numerus (nam is definitus esse debet) ad multitudinem nimiam e-
vitandam, antevenire oportet, ut non concipiantur, quod delictum, ut
homicidium meritò dicit puniri Besold. polit. lib. 1. cap. 10. n. 33.
Et hæc de familia Oeconomica. Politica familia est series agnatorum
multas familias Oeconomicas continens. Sic intellecta alias vocatur gens
prosapia, ein Geschlecht oder Stam. Magistratus autem summa ope
præclaras in Republica familias conservare studeat, & extinctis novas sub-
stituat, quod Augustum Imperat. facere solitum scribit Tacit. lib. 2.
annal. 5. Nepos, inquit, erat Oratoris Hortensii, inlectus à D. Augusto li-
beralitate decies sestertium, ducere uxorem, suscipere liberos, ne clarissi-
ma familia extingueretur. Ut enim Rempublicam ornatorem reddunt
familie antique & longâ serie deductæ, sic & ampliorem. Sic Rome
numerose & clarissime fuerunt familie. Videatur Ἱστορικὸν Roman-
num Eliæ Reusneri. Gens Fabiorum, ex qua tres continui principes Se-
natus. M. Fabius Ambustus. Fabius Rutilianus filius. Q. Fabius Gurges
Nepos. Plin. lib. 7. c. 41. Lentulorum &c. in Scotia Moraviorum, qua

ex una familia in totam gentem crevit. Keckerman. in polit. lib. 1. c. 15. & ubi vis locorum. Memorabilis tamen est familia, cujus mentionem facit Ludovic. Vives sup. lib. 15. Augustin. de civit. Dei c. 8. Ubi scribit fuisse patrum memoria vicum pene centum domorum in Hispania, cujus omnes incole erant à sene quodam, qui adhuc vivebat, progeniti, ita ut propinquitatis nomen jam deesset, quò à minimis natu vocaretur. Modos verò conservandi familias paucis attingit Schönborner in polit. lib. 1. c. 10. qui videatur.

III.

Peregrinorum receptio ampliorem reddit Rempublicam.

A multis politicorum autoribus hæc quaestio, an peregrini in civitatem recipiendi? pro & contra (ut vulgo magis usitate, quam Latine dicitur) ventilatur, à Tholozano de Repub. lib. 4. c. 4. Dn. Præfide in Nomico-polit. quaest. 137. Gerhard. in centur. quaest. polit. 2. decade 9. Reinhardo König in Theatro. polit. part. 1. c. 1. n. 86. & ab aliis passim. Non autem quaestio est de peregrinis exulibus aut præter meritum miseris (hos enim recipiendos esse & lex divina jubet, & ipsa naturalis ratio & humanitas dicitur) sed de illis peregrinis, qui jure civitatis frui volunt. In quos durioris sententiae sunt Aristoteles lib. 5. polit. c. 3. ubi dicit peregrinitatem concitare seditiones, quod multis probat exemplis, & Johannes Casus, qui sic lib. 5. sphaera civitat. c. 3. scribit, periculosum esse angues in sinum & peregrinos in urbem sumere, ut illi calore recreati mordent; sic hi libertate donati civitatem perdunt, & peregrinos cum civibus tanquam oves cum lupis in uno loco cohabitare non posse: quod locustæ, inquit, sint segeti, id advenæ civitati, qui ut illa grana, sic ipsi fructum civitatis vorant ac consumunt. In contraria sententia est Machiavellus in discurs. de Repub. lib. 1. qui prodidit non posse civitatem evadere magnam, si suis tantum contenta civibus, extraneos nullos recipiat. Sicut in Lacedæmoniorum Republica patet, quæ Peloponesum vix egressa est, propterea, quod civitatem omnibus peregrinis clausit, quem ut virum perspicacissimum & Politicorum ingeniosissimum (neque omnia enim Machiavelli improbanda

CUM

cum prudens est, neq; omnia approbanda, cum impius est) in hac sententia non deserimus. Hinc enim Cicero in Orat. pro Balbo Romanae Reipublicae incrementum accersit ab eo, quod non tantum exteros, sed & hostes civitate donavit. Sic Richardus rex Angliae Londinum brevi ampliavit, & multum ad imperii augmentum profuit, dum peregrinis decennium illic habitantibus jura civitatis concessit. Polydor. Virgil. in ejus vita. Sic Venetiae peregrinorum receptionem vastitatem suam, quam per pestem grassantem anno 1342. passae erant, suppleverunt. Proposuerunt enim edictum, ut quicumque hominum Venetias cum conjuge & liberis peterent habitandi causa, perseverarentq; biennio in novo incolatu, pro civibus haberentur Sabellic. lib. 8. Enead. 9. Invitantur autem peregrini ad Rempublicam puritate religionis (quamvis ferè pateat contrarium pro dolor! ut illa loca sint populosissima, ubi liberum omnium religionum an irreligionum exercitium, ut videre licet Venetiis, ubi Tyrannis Pontificia non adeò stricta est, in Belgio & ubi non) pace publica, privilegiis immunitatum, quae quidem sunt concedenda, ne tamen fraus civibus fiat. Hoc modo Ludovicus Malanus Flandriae Comes circa annum Christi 1338. Anglos immunitatibus amplissimis concessit ad Emporium lane Anglica Brugis Flandriae constituendum illexit. Incredibile est, quantam tam res mercatoria, institoria navalis & piscatoria apud Belgas floruerit. Lanfius pro Britann. p. 485. Non tamen indistinctè asserimus peregrinos esse recipiendos, sed distingui volumus inter has questiones. An peregrini sint recipiendi & an peregrini jure civitatis donandi? Ultramq; cum hypothsesibus, quas Keckermann. posuit in Curs. Philosoph. disput. 23. quæst. 1. affirmamus. Nolumus tamen propter amplificationem Reipublicae ut recipiatur colluvies malefactorum, sicut quidam Galliae Princeps dixit, se ex furum & latronum receptaculo, redditurum elegantem urbem. Besold. ex Sinceri Itiner. Gallico lib. 1. cap. 11. n. 12. latronum enim & similis furfuris hominum multitudo non est Respublica, quae praesupponit unionem civilem in virtute, inter malos verò non est unio, sed conjuratio. Nec civitas debet esse πονηρόπολις, qualem collegit Philippus juxta Thraciam, quae fuit quasi sentina hominum infamium, sycophantarum, falsorum testium, prevaricatorum & id genus aliorum ad numerum duorum millium Zwinger. p. 3998. Unde rectè in Vene-

venetae urbis origine nec sicarii, nec scelesti in illam recepti sunt, ut nota-
vit Sabell: lib. 1. Decad. 1. Viri enim illi oprimi urbis conditores nolue-
runt nascentem civitatem prava convenarum colluvione contaminari,
quod ipsum non modo non fecerunt illustrium urbium conditores quidam,
sed ultro flagitiosissimum quemq̄, aperto ad hoc ipsum asylo, in civitatem
evocaverunt, quod fecit Romulus, qui jaētis urbis fundamentis, ut urbem
redderet populosam, inter arcem & Capitolium (loco intermontio nomi-
nato) Asylum constituit, omnesq̄ recipiebat, neq̄ servum dominis, nec cre-
ditoribus nexum, nec magistratibus dabat homicidam, verum inviolatum
locum ex oraculo Apollinis se prestare asserbat. Huc servi, & qui dome-
sticis judiciis erant obnoxii, velut ad unicum libertatis & vite portum,
certumq̄ perfugium, ex circumjēctis urbibus migrabant, qui benignè ac-
cepti & ad urbem colendam omnibus officiis invitati, frequentiore red-
diderunt indies civitatem. Ex Plutarch: in Romulo. & Livio lib. 1.
Sabell: lib. 2. Ennead. 2. Romulum tamen & laudabiliter & pro do-
minatione sua fecisse hoc scribit Clapmar. lib. 4. de arcan. c. 5. & Asy-
lum hoc tanquam Templum Misericordiae & ex variis quasi elementis con-
gregatum corpus unum probat Facius in polit: Livian: part. 1. art. 10.
Secundo volumus recipi Cigaros seu Attinganos (de quorum origine varias
sententias collegit Keckerman. in Cursu Philoloph. disp. 33. quaest. 2.
Elias Levita in Thisbite sub **ND** verò eos artos putat, & mea quidem
sententia rectè, à Cutharis seu Samaritanis, qui ostiatim olim mendica-
bant, ceu hi modo) aut quia proditores & exploratores sunt hostium, id est,
Turcarum, ut vult Constitutio Comitiorum Imperialium, aut quia sunt
manipulus furum & colluvies otiosorum ac fraudulentorum hominum ex
varis nationibus non ita remotis, sed vicinis collecta, ut eos graphicè depin-
git Camer: in centur. 1. meditar: historiar. c. 17. Colluvies hominum
mirabilis, omnium perita linguarum, rustica plebi gravis imminens, ubi
foris illa laborat in agris, hi spoliis invigilant casularum, ut scribit Cranz:
lib. 11. Saxon. c. 2. De Judaeis vero quaestio est altioris considerationis,
cum illi, nisi apud Christianos hospitium receperint, catervatim confluent
ad Turcos ut notavit Camerar. & addit Turcicum Imperatorem dicere
solutum, se mirari Christianorum Regum stoliditatem, quod tantam mul-
titudinem potius in propriam perniciem expellere, quam ad suum emolu-
mentum retinere maluerint, quos si interficere nolissent, mancipiorum

C

loco

loco retinere potuerant. Nos eos non e Republica expellimus, si modò
& Theologi hic sua faciant, ut nempe in quotidiana & humana cum illis
conversazione laborarent, de illorum ad Christianismum conversione, qua
de re memorabilia possunt legi Lutheri verba in tractat: daß JESUS
Christus etn gebornet Jüde sey | quod ut a paucis monitum; sic a paucis,
immò ferè nullis tentatum, & Politici sua etiam faciant, nempe illos,
Judeos intellige, certis constringant legibus, quas proposuit Kecker-
man: in Curt. Philosoph. Disput. 33. quæst. 3. nec eos tantis pre-
mant tributorum expilationibus, quibus ansam dant Judæorum genti,
quæ otiosa nostris laboribus vivit (quod stupendi miraculi loco nonnemo
esse scripsit) ut ex nostris Christianorum bonis tantos sumtus per fœnera
& usuras corradant (unde enim illos aliàs peterent.) & sic tantum Ju-
dæi fortunis & sanguine Christianorum pasti rursus argento emunguntur,
& principes ex lucris usurariis ac fœneratitiis prædam capiunt. Scilicet
quod nolunt ex ipsis Christianis sumere, ab ipsis per Judæos extorquent.

IV.

Hactenus de prima parte Meliorationis Rei-
publicæ, quæ consistit in augmento populorum;
jam de secunda, quæ consistit in augmento num-
morum tum publicorum, tum privatorum,
quod distinctis duabus thesibus proponendum.

V.

Erarium publicum amplificat Rempublicam.

Ut nulla domus, quæ pusilla Respublica Apuleio dicitur, in Oecono-
micis perfecta est sine possessionibus, etiamsi habeat omnium societatum
membra. Sine possessione enim impossibile est vivere & bene vivere; Sic
nec magna Respublica omnibus partibus est perfecta, etiamsi multitudine
civium copiosa sit, sed requiruntur bona tum privata, tum publica, qua u-
no nomine si populi & Respublicæ sunt, propriè vocantur erarium: adeò
ut mihi inutilis videatur questio, an erarium habendum in Republica.
Etsi enim Respublicæ divitiæ in privatorum opibus magis, quam in erario
publico sitæ esse debeant, ut prolixè disputat Gentilet. vulgo Antima-
chiavel.

chiavellus lib. 3. theorema 32. cum pecunia in subditorum arcibus parinde sit ac in publicis ex sententia supra sexum prudentissima Elisabethæ Anglicæ, ut referi Camden. in Annal. Anglic. Anno Christi 1566. vel ut Constantinus Chlorus Imperator dixit. Publicas opes rectius à privatis haberi, quam intra unum claustrum reservari. Erasmi. lib. 8. apophthegmat. tamen ararium in Republica necessarium esse res ipsa clamat & omnium felicissimarum Rerum publicarum exempla testantur. Ut non absone dixerit Alfonsus Arestinus dux Ferrariensis. Principis (sic & Reipubl.) inane esse nomen & id contemni atq; injuria semper expositum videri nisi ejus arario prægrandem signata pecunia vim ante pericula congestam contineri servariq; omnis generis homines existimarent ex Jovio Zvvinger. in theatr. p. 2464. Mirum ideo mihi videtur, quod allegat Gensilet. loco supra cit. Venetorum institutum, apud quos capitale esse scribit, de arario publico seu thesauro instituendo verba facere, quod & Philipp. Cominæus in 2. part. histor. Gallic. cap. 21. scribit. Venetos neq; thesaurum, neq; ararium publicum apud se esse velle & pati. Huic contradicit tamen Danæ. in polit. Christi. lib. 3. cap. 3. p. 184. & ararii communis & extraordinarii distinctionem observari in Venetarum civitate prudentissima affirmat. Modi verò, quibus ararium augetur, sunt iidem, quibus conservatur, quos enumerant sex passim Politici, qui sunt 1. Monetæ proventus. 2. Vectigal nauticum & portorium. 3. Tributum. 4. Multæ legitime. 5. Donatio. 6. Collatio extraordinaria, quibus & addi debet & potest expeditissima ratio augendi census detrabere sumptibus inutilibus & inhibere largitiones profusas. Magnum enim & hinc vectigal Parsimonia, & in hoc sensu verum illud Machiavelli liberalitatem Principi esse noxiam, quippe, quæ se ipsam consumat ut flamma. Prodigalitas enim & largitiones sine modo opulentissima regna exhauriunt atq; evertunt. De his legantur autores Politici Castellanus, Bodin. Kecker. Belold. & alii, nostrum hinc illos diducere non est, cum propriè ad conservationem Reipublicæ spectent, nos autem hinc de amplificatione ejusdem agimus. Hæc tamen monenda sunt: ararium publicum esse augendum primum moderate, ne simile fiat lieni, ex sapientissimo dicto Trajani apud Cuspinian. Sicut enim crescente in corporibus nostris liene artus reliqui tabescunt; Ita turgente Principis fisco reliqua civitatis membra macrescunt & egrotant. Secundo justè. Sanctius enim est pauperem Reipublicam obtinere, quam per flagitia &

scelera dicescere, ut dixit Pertinax Imperator. Sabell. lib. 5. in Enne-
ad 7. Nec plus fisco tribuendum, quam iustitie, ut monuit Theodoricus
Rex Marcellum. Utinam verò posset in Republica congeri ararium sine
civium exactioibus, vel ex hostium spoliis & devictorum Tributis, ex qui-
bus ararium Romanum usq; ad bellum civile constabat, ex donariis, que
ratio est ararii Turcici, vel ex benevolentia, quale prudentissimum fuit
exactiois genus Eduardi IV. Angelorum Regis, quod benevolen-
tiam appellavit: Egit enim cum subditis, ut sponte sua ad sumtus belli
pecuniam erogarent, quod ipse ex ea re benevolentiam singulorum men-
surus esset, ut scilicet eum, qui plus daret, se plus diligere censeret Ke-
ckerck. in Curs. Philol. disput. 34. quæst. 8. Cui ferè geminum be-
nevolentie talis exemplum (elegantissimum sane) inveni à Flavio Con-
stantio Chloro usurpatum, quod legi potest apud Esseb. lib. 1. de vita
Constant. & Pezelium in mellific. Histor. part. 2. sub hoc Chlo-
ro p. m. 254. : tamen Magistratus pro necessitate & incremento Rei-
publ: tributa à civibus exigere potest, (neq; enim approbanda Comi-
tæ sententia, Principibus tributum imperare non licere, sed ea tantum
capere posse, que consentientibus subditis dono darentur. Bodin. lib. 6.
c. 2. p. 1026.) idq; jure optimo divino Rom. 13. v. 6. & humano. Pro-
pterea jus vectigalium inter jura Majestatis refertur. Vide Bornit. in
de fundand. Reipubl. statu cap. 13. In tributis enim Reipubl: nervi
sunt, ut loquitur Ictus in l. 1. § 20. D. de quæstion: Vectigalia sunt
Imperii Patrimonia. Florus. & tributa sunt ornamenta pacis, subsidia
belli, & fructus, quibus Respublica augetur. Quamvis verò Magistratus
jure exigere tributa possit, tamen caveat primo novos exactiois modos,
seu speciosas fraudes, quas Financias vocant, quas novi Politici ex Italia
redeuntes subtiliter excogitare solent & Principibus persuadent, collectas
institui posse sine injuria, sine damno subditorum, & nullum ex subditis
fore, qui non hilari vultu & summo cum gaudio tributum impositum sol-
vat. Tales tributum dulce suadentes dignos laqueo judicavit
potentissimus Landgravius Hassiæ Philippus, ut refert nobiliss:
Waremundus ab Ehrenberg in de Reg: subsid: & onerib: sub-
dit: cap. 18. & diris devovent horum arcandorum inventores subditi, ut
factum tempore Eugenii IV. Papæ, cum Romæ duplicatum esset Tributum,
vectigalq; novum vino impositum, populum exclamasse scribit Platina.

Moriantur

Moriantur nova vectigalia & eorundem inventores. Secundo caveat ne propter amplificationem ararii aut Reipublicæ tributa sint frequentia. Vox enim populorum auribus invisa, animisq; infesta Tributum. Locum hinc habeat illud Taciti: Ne exquiras subinde novos sinus & varia prædandi vocabula, ut centesimas, quadragesimas, quinquagesimas. Nec omnia concilia propterea congregentur, ut subditi novis præmantur exactionibus, ut falsè notavit Jovius Germanorum comitia; quorum omnium plerumq; summam esse dixit pecuniam. Nec tributa sint immodica. Ararium enim non debet esse spoliarium, nec cruentarum prædarum receptaculum, & boni pastoris est tondere pecus, non deglubere ex dicto Tiberii apud Sueton. ex arboribus si fructus ferre velimus, non vastanda ea sunt, excindenda non evellenda est sylva, odi hortulanum, qui olera cum radice abscindit, ait Perez in aphorismis. Nec Tributa sint sordida, quale fuit Vespasiani ex lotio Caligulae, ex prostituta Sixti IV. qui Romæ nobile extruxit lupanar, ut ex meretricio questu infame lucrum acciperet, & Romana Scorta in singulas hebdomadas Julium nummum pendunt Pontifici, qui census annuus, nonnunquam XX. millia ducatorum superat. Hæc tributa omnia absint à Republica, sint verò necessaria, moderata, iusta & equalia. Hoc modo per tributa augeri potest ararium & per hoc Respublica.

VI.

Amplificatio Reipublicæ maximè consistit in bonis civium privatis.

Hoc quod Alfonso Rex Neapolitanus dicere solitus fuit: Regum imprimis studium & officium esse, populares suos locupletes efficere. Popularibus enim ditioribus factis, nec utiq; reges futuros pauperes. Hoc de omni Republ. dici potest commodissimè. Civium scilicet bonis abundantibus, nunquam defuturos Reipublicæ sumtus publicos. Non minor ergo cura debet fieri amplificandorum bonorum privatorum, quam publicorum. Ut enim familiarum Oeconomicarum propagatio Rempublicam reddit populosam; sic possessionum Oeconomicarum seu privatarum studium Rempublicam facit nummosam. Augentur autem bona privata subditorum per compendia Oeconomica, quæ vulgo modi acquirendi vocantur,

tur, & enumerantur octo. 1. Acquisitio Georgica sive rustica. 2. metallica. 3. pecuaria. 4. predatoria sub hac venatoria & piscatoria. 5. mercatura. 6. Officiaria. 7. extraordinaria. 8. mixta. Legantur de his auctores æconomici. Nos de iis agimus hic tantum eo respectu, quo hi modi exercentur ab incolis Reipublicæ ad ejusdem amplificationem: Agricultura crevit olim Sicilia, quæ cella penuaria Reipubl. & nutritrix plebi Romanæ nominata à M. Catone sapiente & ærarium Romanum à Cicerone lib. 2. in Verrem. In agricultura sitæ adhuc hodie sunt Polonia divitiæ. Huc referendum Frumentum, Vinum Cannabis & Sal Gallia, quæ non in eleganter Boterus dixit Gallia Magnetes. Ut enim magnes ferrum trahit, sic isti gallici magnetes omnem extraneorum pecuniam ad se trahunt. Lans. in Consult. pro Gallia pag. 135. Ex Pecuaria etiam magna sumunt multa Reipublicæ incrementa, ex caseorum venditione decies centena aureorum millia annua cogit Hollandia. Ludovic. Guicciardino testante. Lans. in Consult. pro Germ. pag. 62. Metallica etiam multas insanum divites reddidit Reipublicas. Metallum enim auri vel argenti fertile uno anno plus utilitatis præbet, quam ager fructuosissimus annis centum, ut scribit Georg. Agricola lib. 1. de metal. Exempla apud Historicos incredibilia fere aut ad stuporem mirabilia inveniuntur plurima. Quid de piscatione addam, cujus annuus proventus in Belgio Guicciard. supputante vicies centenis aureorum millibus æstimatur Caspar Ens in histor. Belg. lib. 1. Ita Rex Daniae olim maximos proventus habuit ex captura halecum circa Sconiam, jam verò haleces migrarunt Hollandiam versus, ita ut jam isti proventus Regni Daniae magna parte cessaverint Keckerman. in polit. lib. 1. cap. 19. De mercatura verò rectè dixit Laurentius Medicus, mercaturam esse caput, unde robur & nervi manant in Reipublicam. Hac creverunt florentissima Reipublica, olim Tyrus, cujus mercatura magnificè describitur ab Ezechiel. per totum cap. 27. & Corinthus à Phœciis (ut eam appellat Homerus.) Ea florent hodie Venetia, Belgium & alia Emporia orbis ditissima, in quibus multi cives ad magnatum fortunas per mercimonia pervenerunt. Mercatura verò ablatio quanto cum damno Reipubl. fiat in unica videre licet Antverpia, quæ nuper supra omnia urbis Emporia fuit. Thuan. lib. 6. Histor. de cujus magnificentia Julius Scaliger hoc Epigrammate.

Oppida

Oppida quot spectant oculo me torva sinistro
Tor nos invidia pallida tela petunt.
Lugdunum omnigenum est, operosa Lutetia, Roma.
Ingens, res Venetum vasta, Tolosa potens.
Omnimodæ merces, artes præcæq; novæq;
Quorum insunt aliis singula, cuncta mihi.

Magna ergo Respublica sumere potest incrementa, si cives in bonis conge-
rendis hu studeant acquirendi modus, quibus ad junxerunt alii facilem &
celerrimum ditescendi modum per artem Chrysopoëticam seu Alchymiam
(cujus vocis allusivam Etymologiam Bellunensis eleganter de-
ducit, ex Arabica voce Alam, quam ait esse tristitiam de futuro &
affectum inter spem metumq; pendulum, quam derivationem
accuratam non esse scio quidem, derivatur enim rectius ab arti-
culo Arabico Al & nomine Chemia, quo dicta fuit olim Ægy-
ptus, quasi ars Ægyptia, tamen ad naturam Alchymia accedit,
quæ multa habet magnæ spei, ut benè ait Cardanus alicubi.) De
hac Theodor: Zvinger. in Theatro vol. 20. lib. 3. p. 3707. sic.
Quod illic de patrefamilias Plautus affirmavit. In una esse unum domi-
num servum domo, id nos de arte ista pronunciare possumus. In una esse
unam servam Chemiam domo & p. 3709. notat. Ludovicum XII. ex arte
Chymica tantas opes comparasse multi suspicantur. Ast repeto hîc pru-
dentissimum Canonem Keckermanni, quem tradidit in polit. lib. 1.
c. 20. Alchymiam non sinat princeps facile exerceri à privato, siquidem
& periculosissima illa est artium omnium, & simul sumtuosissima, ad
quam non private unius hominis opes, sed principum & Rerumpublica-
rum divitiæ requiruntur, cumq; experientia testetur, infinitos ad pauper-
tatem per hanc artem redactos esse, ditatum privatam adhuc hominem
ferè neminem. Ubi etiam laudat sapientissimam legem Angliæ, ne quis
privatus sine consensu regis Alchymiam exerceat. Ego hanc artem & ce-
lerem ditescendi modum Diaboli puto esse laqueum, quo sub suavi spe di-
vitiarum homines irretire & deludere DEI pronuntiatum satagit. In
sudore vultus tui vesteris pane tuo. Legatur elegantissima historia de
ambiguo ipsius Diaboli responso in verbo Laborate, quod reddidit que-
rentibus ipsum auriflombus apud Bodin. in Dæmonom. lib. 3. cap.
3. p. m. 315. Hoc addo adhuc verissimum esse illud vulgatum,
proximam

proximam ad Xenodochia viam sterni ab Alchymia, quæ tam en-
dicta nolo intelligi de vera illa Chymia philosophia naturalis occulte ma-
gistra simul & discipula, quæ divitiis mundi corradendis non incumbit,
sed de Pseudochymia & Parachymia, de qua eleganter Poëta quidam:

Nec miseram magis affirmes veraciter ullam,
Artem aliam, quam quæ externis Alchymia verbis
Dicitur, obscurisq; tegens ambagibus errat.
Avia per; miserosq; trahit per iniqua sequentes
Ac tandem ejectos in cœca barathra relinquit.
Ut videas quemcunq; bonum sua prædia civem,
Vendentem, patriasq; domos, nubesq; repostas
Fornaces inter versari, ac follibus aurum
Captare, in tenuemq; (nefas) convertere fumum.
Rem, dubias dum quærit opes insanus, avitam,
Difficilem interea conjux moestissima vitam,
Protrahit, illacrumant nati, fit sordidus ipse
E lauto, ludusq; patens & fabula vulgi.

VII.

Ad magnitudinem & Amplificationem
Reipublicæ facit splendor & magnificentia ædi-
ficiorum tum publicorum, tum privatorum.

Benè & hac de re Bodin. lib. 6. cap. 6. p. 71. Neq; Respublica sine
familis, neq; urbs sine mœnibus ac ædificiis stare magis possunt, quam sola-
ria vel tecta sine parietibus. Urbs enim propriè est congeries ædificiorum
mœnibus conclusa. Cum verò Respublica non possit feliciter stare sine ur-
be, nec urbs sine ædificiis, utiq; maximè ad amplificationem Reipubi: fa-
ciet, tum urbis positio, tum ædificiorum magnifica constructio. Non autem
dicam hîc de situ urbis, quoad aëris salubritatem, bellorum opportunita-
tem, civilium actionum expeditionem, aquarum stantium ac manantium
copiam, quæ quatuor consideranda esse Aristoteles in situ urbis dicit,
de quib;

de quibus Hippol. à Collibus in tractat. de increment. urbium.
Hæc enim ad urbis primam Constitutionem pertinent, hic autem de urbis
amplificatione agitur. Itaq; hæc tantummodo hic ponenda sunt, quæ ad
urbis amplificationem facere possunt: ut nempe Locus, in quo urbs con-
ditur, spaciosus & amplus sit, ita ut amplificari civitas, & addi etiam sub-
urbium possit, id est, continentia ædificia extra vel juxta urbem; item po-
merium, id est, spatium incultum intra urbis muros, quem Canonem tra-
dit Keckerm. Polit. lib. I. c. 15. Sic ampla olim fuit Babylon, quæ in
circuitu tenuit 385. stadia, quæ sunt paulo plus quam duodecim millaria
Germanica. Nineve, cujus magnitudinem ipse Spiritus Sanctus descri-
psit in Prophetia Jonæ c. 3. v. 4. Nineve autem erat civitas perquam ma-
xima itinere tridui, in qua fuerunt plures duodecim myriadibus hominum,
qui non norunt discrimen inter dexteram suam & sinistram suam, (peri-
phrasis infantium) Jonæ c. 4. v. 11. Romæ magnitudo, quæ ferè fuit
commune totius orbis oppidum, colligi potest, ex decem millibus pondo a-
raneorum collectis ex Romæ jussu Imperatoris Vari, vel ut habet Platina
in Urbano primo Hellogabali. Dominus D. Franz, in histor. ani-
mal. p. 872. In Germania amplissima est Erfordia, quæ rusticis Thuring-
is nicht eine Stadt, sondern ein ganzes Land ist | ut notat Neander
in Geograph. suâ p. 136. In Asia est stupenda urbs Quinsai, quæ nulla
majorem in universo orbe invenire posse existimant, ut quæ 25. milliaria
Germanica secundum longitudinem complectatur idem p. 417. Memphis
etiam seu Alcirus dicitur quinque major esse Lutetia, quam tamen non
urbibus, sed propter amplitudinem & populi rerumq; omnium ingentem
vim provincis accensendam esse dixit Franciscus I. Galliarum Rex.
Petr. Matthæ. in histor. Henrici IV. lib. 6. Hæc & aliæ urbes am-
plissimæ ob magnitudinem suam celebrantur, 2. Urbs facile & celerrimè
maxima potest incrementa sumere, si sit sita ad mare, ut testatur exem-
plum omnium maritimarum seu Hanseaticarum (quas ita dictas pu-
tant quidam quasi an der See | ast rectius etymologia deduci-
tur ex antiquo vocabulo Gothico Ansi) civitatum. Magis enim
exerceri potest mercatura in urbibus maritimis, cum & citius & minori-
bus sumtibus eo transvehi merces possint, & major ibi diversissimarum na-
tionum confluxus esse potest, qui eò mari devenire possunt, quo ferè terra
aut omnino non, aut raro, aut non nisi multis cum sumtibus pervenire pos-
sent.

D

sent.

sent. Nec metuendum est populum frequentissimum urbes maritimas alere non posse, cum plerumq; fundus earum ob maris vicinitatem sit sterilis. Annona enim navibus copiosa advehi potest. Sic etsi in Hollandia non satis frumenti crescit, pro tanta & stupenda hominum multitudine, tamen frumentum è reliqua Germania ibi est copiosissimum. Illud enim non difficulter à mari impetrat, quod à terra negatur, ut ait Heinsius in orat. funebr. Doufæ, ad quem de hac re magnus Joseph Scaliger elegantissimis versibus scripsit.

Ignorata tuæ referam miracula terræ :

Doufa peregrinis non habitura fidem.

Omnia lanicium hic lassat textrina Minerva :

Lanigeros tamen hic scimus abesse greges :

Non capiunt operas fabriles oppida vestra :

Nulla fabris tamen hæc ligna min stræt humus.

Horrea triticæ rumpunt hic frugis acervi :

Pascuus hic tamen est, non Cerealis ager.

Hic numerosa meri stipantur dolia Cellis :

Quæ vineta colat nulla putator habet

Hic nulla aut certè seges est rarissima lini :

Linifici tamen est copia major ubi ?

Hic mediis habitamus aquis : quis credere posset

Et tamen hic nullæ Doufa bibuntur aquæ.

Non satis verò est, urbem esse amplam, si amplitudo illa vasta esset, tum enim verum esset illud Comici ἐρημικά μεγάλη Ἰβὴν ἢ μεγάλη πόλις. Est magna solitudo magna civitas; sed expleri debet ædificiis, quorum hic spectamus non usum ad necessitatis sufficientiam qualem-qualem, sed eorundem pompam & magnificentiam, quæ respondeat amplitudini Republicæ. Ædificia autem sunt vel publica vel privata. Publica sunt vel intra urbem, vel extra urbem ut portus, Pontes, vicæ. Celeberrimus est portus Anconitanus in Italia, de quo vulgatissimum illud. Unus Petrus in Roma, una Turris in Cremona & unus Portus in Ancona. Leand. in descript. Marcæ Anconit. Pontes laudantur Ratusbonæ lapideus, undecim fornibus passibus quadringentis & septuaginta longitudinis ab Adriano, ut ferunt, extractus. Alchammer. n comment. super Tacit. Germ. p. 61. Misna, quo artificiosior in

impe.

imperio Romano vix reperitur. Dresser: in urbib. German. sub
Misna. Dresdae cujus opus praclarum nullis vel pyramidibus vel Colossis
veterum postponendum. Idem ibid. in Dresda. De viis vero, id quod
dixit de Principe Philippus Hassia Landgravius, de omni Republica dici
potest. Einen Fürsten sol man an dreien dingen erkennen / an gu-
ten Weg / an guter Mäns und wahren Worten. Sic Romae duae in-
signes inprimis via durissimis lapidibus stratae erant. Appia structa ab
Appio Claudio Censore, longa Brundisium usque, lata pedes 25. &
Flaminia, quae Roma Ariminum usque & inde porro Aquilejam ducebat.
Lips. in Admirand. lib. 3. cap. 10. Aedificia publica intra urbem
sunt vel ornatus, ceimiharchia Antiquitet oder Kunstammern / qua-
lia sunt splendidissima Dresdae Saxonicum, Stutgardiae Württembergicum,
Bavaricum Monachii. Lanf. in consult. pro German. pag. 43. Dan-
tisci magnifici quondam praefulus Domini Bartholom: Schachtmanni.
Vel necessitatis: tempore pacis Schola, Templo, Nosocomia, Curia, Fora, ma-
xime mercatoria, (ubi mercatores convenire possunt, ut est forum D.
Marci Venetis, medius Janus seu Bursa Antuerpia, ubi olim supra
quinque hominum millia negotiationibus Orbis terrarum expediendis
conventus egerant, Londini Bursa, quam Regina Elisabetha Ex-
cambium Regium dixit & Dantisci der Juackerhoff / Carceres Erga-
steria, quae Germani commodè Zuchthäuser vocant (quale est Amste-
lodami & Hamburgi extructum nuperrimè) Armamentaria Zeug-
häuser / quae feudistae Armandias vocant: Tempore belli mœnia &
propugnacula, quorum omnium aedificatio sit proportionata amplitu-
dini, splendori & magnificentiae Reipublicae. Hic verò pugnant Poli-
tici, an sit ex commodo urbium illas mœnibus circummœnere. Ur-
bem munitam murus vocavit Panthœdas Spartanus pulchram muli-
erum domum. Lycurgus civitatem dixit, quae viris non lateribus
praeincta foret, & Agesilaus cives armatos ostendens dixit esse Sparta-
mœnia. Verùm his non obstantibus, murum dicimus esse decus urbi,
mœntem civi, terrorem hosti. Et respondemus ex Aristot. polit.
lib. 7. cap. 11. Mœnia qui dicunt non oportere adesse civitatibus illis,
quae virtutem possideant, nimium prisce loquuntur, & hoc vident per
experientiam reprobaturum in iis civitatibus, quae sibi id ad gloriam
jactabant, & post pauca firmissimam munitiorem murorum pu-

tandum est opportunissimam esse in bello, præsertim hoc tempore, in quo tormenta & machina, ad obsidiones urbium cum omni subtilitate sunt adinventæ. (Hæc tum scripsit Aristoteles de antiqui moris machinis, quid jam scriberet, si nostras videret aut audiret bombardas colubrinæ & quassatorias.) Si ergo, concludimus cum Aristotele, per hunc modum se habet, non solum mœnia circumdanda sunt urbi, verum etiam curandum, ut & ad ornatum civitatis se habeant decenter, & ad bellicas opportunitates, tum ad alias, tum ad illas, quæ nunc reperiuntur sunt. Et hæc de edificiis publicis. Non minus verò ad amplificationem Reipubl. facit symmetria unicum urbis decus & structura ædium privatarum magnifica & splendida. Sic Romæ domus fuerunt urbium mille septingentæ & octoginta Lips. in Admirand. adeo laxa, ut omnia in se continerent, quæcunque mediocris urbs posset continere, circum, fora, quæ erant hypæthra & subdivalia quedam inter porticus; adeo magnifica, ut haberent columnas à longinquo petitas, eleganter dispositas, parietes marmore inductos, laquearia aurata, lacunaria versatilia, quibus convivæ alia atque alia faciès subinde delectabant. Sic in Vienna Austriæ laudatur, ut quæ sint civium domus, eæ Principum palatia esse videantur. Sylvius in Epistol. 165. Hæc autem omnia, quæ diximus de magnificentia ædificiorum, non tanquam absolute dicta accipi volumus. Scilicet ædificiorum approbamus magnificentiam, quæ cum virtus sit, etiam in mediocritate posita est, luxum eorundem, tanquam magnificentie excessum improbamus. Secundò observari volumus nos magnificentiam ædificiorum non in omni Republica urgere, sed in illa, quæ & populus & nummis abundans sit, de quâ hic agimus. Nam ut exactioibus Magistratus cives pauperiores in Republica angusta pecuniâ expilet, ut inde angusta extruat opificia. Absit. Non debent enim cœmenta sanguine civium madidari, nec ædificari civitas in sanguinibus. Obstat enim VÆ propheticum Hab. 2. v. 9. Tertio monemus ex Besold. polit. lib. 2. c. 7. n. 30. Opera Reipublicæ non inutilia esse oportere, quæ nempe plus onerent, quam ornent, quæ reprehensionem potius, quam laudem mereantur, quæ magna potius, quam necessaria & utilia censeantur, qualia fuerunt: Turris Babel, quam extruere voluerunt in campis Sinear, ut fastigium ejus assurgat in cœlum, ut nomen inde sibi compararent Gen. 11. altera Babel, de qua magnificè grati-

gratulatur sibi Nabuchodonosor Dan. 4. v. 30. Annon hæc est Babylon magna, quam ego edificavi, ut esset regia & ornamentum decorus mei, robore potentia mea. Pyramides Ægyptiæ & alia decantata insanarum substructionum miracula, quæ nil aliud sunt, quam opum pessimè insumtarum monumenta & publici ambitionis humanae characteres. Quarto ne nimium fidat urbs mœnibus suis, vel ob rationes Theologicas. Ironicè enim propterea exagitat Nahum Nineven c. 2. v. 1. Nineve custodi munitionem, specularè viam, confirma lumbos, fortifica vires valdè, sed c. 3. v. 12. ait: Omnes munitiones tuæ similes ficibus cum primitivis fructibus, si moveantur, illicò cadent in os comedentis: vel ob rationes Politicas: civium enim animi redduntur nimis securi & effœminati, si suæ salutis præsidia in fortalitiis collocent. Quintò de ædificiis privatorum hoc addimus, ut illi, qui possunt per divitiarum abundantiam ades struant splendidas, ceteri verò, quæ res angusta domi est, caveant, ne dum student publico urbis incremento res familiaris eorum patiatur decrementum, ut splendor ædificiorum omnia eorum exhauriat bona, ut tandem splendida subsequatur miseria.

IIX.

Hactenus de interna Reipublicæ Amplificatione, seu Melioratione, quæ maximè locum habet in Rebuspublicis Aristocraticis & Democraticis; jam sequitur externa Reipublicæ amplificatio, quæ maximè locum habet in Monarchicis, de qua positionibus agendum est sequentibus.

Prudentissimum quidem est monitum Lælii Zechi lib. 2. de principe c. 1. Princeps non curet dilatare imperium, sed benè regere & conservare. Melius enim est ut illud, quod habet, benè habeat, quam id, quod nondum habet, malè acquirat. Unde & Augustus Cesar, cum audivisset Alexandrum M. annos natum triginta & duos, maxima orbis parte ab se subjugata, quid deinceps acturus esset, hæstasse, miratus fuit: quod non magis arduum arbitraretur, quam querere spaciosum imperium,

um, id quod tenebat componere. Plutarch. in apophthegmat. πλε-
ονεξία tamen Ἰνδόνια συμφορὸν ταῖς δυναστείαις. Cupiditas
plura habendi est morbus congenitus magnis Dominis. Hac eo usq; sese
effert, ut nec profundi maris gurgitibus, nec excelsorum montium cacu-
minibus, nec vastis solitudinibus, nec Europa Asia atq; Africa limitibus
nec cognati sanguinis legibus aut vinculis desiniri atq; coerceri possit ex
Plutarch. Richter. in Axiomat. Oeconom. 203. Cujus rei vivum
exemplum est Alexander M. de quo Juvenalis satyra 10.

Unus Pellæo juveni non sufficit orbis

Ut Gyarae clausus scopulis, parvaq; seripho.

Hic cum audiret ab Anaxarcho Philosopho innumerabiles esse mundos.
Heu me, inquit, miserum, quod nec uno adhuc sim potitus, quæ ava-
ritia ambitiose indoles in prima ejus etate jam emicuit. Cum enim nar-
raretur in ludo literario de victoria patris Philippi suspirans dixit: si pa-
ter omnia vicisset, nihil sibi superfuturum. Idcirco semper multis modis
cogitant Reges & Principes, quomodo imperium suum amplificent & di-
latent. Ast prudentius est, quod monet Keckerman. in polit. lib.
I. c. 22. Magis studere princeps debet, ut regnum suum etiam parvum
magis exornet, quam ut amplifcet, quia exornatio & cultura minus ha-
bet periculi & plus saepe commodi, quam amplificatio. Nam recte Hi-
spani dicunt: Non omne magnum est bonum, sed omne bo-
num est magnum. Sic Hispanie regnum amplissimum mole sua la-
borare videtur, ut judicat non nemo Politicorum, & si quid in eo imbe-
cillum, ideo fit, quia tanta molis est, ut se toto uti non possit, & quia o-
mnis nimia magnitudo suis ipsa viribus fatiscit, ut ait Baudius in dis-
sert. de induciis. Et ubi multa sunt regna, ibi plurima bella. Ita
enim plerumq; fit, ut quo quisq; pluribus Imperiis valuerunt, eò majori-
bus bellis eos fuisse vexatos. Waremund. ab Ehrenberg. lib. I. de
foeder. c. 2. n. 141.

IX.

Sine vi Territorium dilatari potest per spon-
taneam exterorum oblationem, unionem, em-
tionem foedera, dotem &c.

De

De his modis Territorii amplificandi per spontaneam exterorum oblationem, qua crevit imperium Cyri & imperium Romanorum, cum plures existimarent, melius se sub eorum potestate vivere posse, quam in sua libertate Liv. lib. 4. per unionem, qua conjuncta fuit Polonia cum Lithvania, Scotia cum Anglia &c. per emtionem, cujus jure gloriatur Respublica Tigurina, quod plus quam Ducatum possideat &c. agit Belfold. in polit. lib. 2. c. 8. n. 39. 40. & seqq. qui videatur. Hoc addo, ad spontaneam oblationem principem exteros vi quasi occulta cogere posse, si habuerit artem sibi conciliandi homines, de qua rectè observat Waremund. in lib. 1. meditament. pro foed. p. 226. Similiter potentibus saepius praefero Principes, qui mira sunt artis in sollicitandis gentibus, imperioq; jungendis suo, qualis fuit Asdrubal Carthaginensis, & de Pyrrho dixit Annibal, quod artem sibi conciliandi homines habuerit, ut Italiae gentes Regis extremi, quam populi Romani imperium mallent. Per foedera verò amplificatur territorium, maxime illa, quae Confraternitates Erbvereinigung / Erbverbrüderung vocant, & sunt pactiones de invicem succedendo in casu deficientium legitimorum haeredum. Harum exempla multa congescit idem Waremund. lib. eod. i. pag. 141. & seqq. per dotem regna acquirendi vide apud Tholozan. de repub. lib. 7. cap. 16. Mira verò amplificandi territorii ratio est donatio Papae magnificentissimi alieni largitoris. Hic Dei & Christi simia putat se posse dare regna & transferre. Sic Urbanus Papa Carolo Andegavensi donavit regnum Siciliae & Apuliae Calvil. in Chronolog. sub anno Christi 1264. & Papa Alexander III. cum tempore Friderici I. Imperatoris exularet apud Venetos, is tanquam Dominus maris ejus despondendi jus permisit. Namq; Sebastiano Ciano Duci contra Ottonem Friderici filium navali praelio victori occurrens: primo gratulatus victoriam, inde annulum porrigens aureum, accipe, inquit, Ciane & me autore ipsum mare hoc tibi pignore obnoxium redde, quod tu tuiq; successores quotannis stato die servabitis, ut omnis posteritas intelligat, maris possessionem jure belli vestram esse quandoc; factam, atq; uti uxorem viro, ita illud vestro subjacere imperio. Et hic mos etiamnum hodie die festo ascensionis Dominica servatur, ut refert Sabell. lib. 7. decad. 1. Verum hic modus possessionis & amplificandi territorii ridiculus est, immò injustus, ut rectè Rex Peru Attabaliba, cum ex Hispanis audiret, Papam ipsis de-

disse

disse terram Peru, dixerit. Insigniter fatuum esse oportere Papam, qui, quæ non haberet, aliis liberaliter largiretur, vel certe injustum ac impium nebulonem, qui ejectis veris possessoribus, alienas terras peregrinis addiceret inq; mutuas cœdes mortale genus armaret. Benzo in histor. Novi orbis. Quo simili jure fictitiæ Donationis Constantinianæ ipse Papa possidet Italiam, de qua ingeniosè Hieronymus Donatus legatus Reipubl. Venetæ apud Alexandrum VI. huic querenti, quibus titulus Urbis Venetæ possessionem maris Adriatici tueretur, respondit: Ostendat mihi vestra sanctitas instrumentum donationis Constantinianæ, apparebit id epistographum & versa pagina Venetorum privilegium, atq; jus in mare Adriaticum exhibiturum esse. Marquard. Freher Comment. ad Ottonis 3. donat. in præfat.

X.

Cum vi territorium dilatatur per bella.

De Nino Assyriorum rege refert Justinus lib. 1. cum principio rerum gentium nationumq; imperium penes reges esset, quibus fines imperii magis tueri, quam proferre mos erat, primus omnium veterem & quasi avitum gentium morem, nova imperii cupiditate mutavit, primus bella finitumis intulit, & rudes adhuc ad resistendum populos ad Lybiæ terminos usq; perdomuit. An verò liceat bello imperii fines dilatare? disquirunt Politici. Machiavell. de principe c. 3. ait: Cum natura regnandi cupiditate nunquam satiatur, nulli vitio, sed potius laudi dandum quovis modo, sive per pellem leoninam, sive vulpinam ditiones amplificare. In eò saltem vitium esse addit, si quis ea affectat, quæ viribus suis consequi non potest. Ast rectius alii negant, bello imperii fines esse propagandos, quod multi multis probant; non tamen id absolute intelligendum est de omni bello. Optimo jure enim belli justî, quod vel defensionis, vel amissorum recuperationis gratia susceptum est, regna acquiruntur, quod Keckerm. in canone notavit in polit. lib. 1. c. 4. Unde scribunt quidam Imperatorem posse Saracenis & Turcis bellum indicere pro recuperatione Terræ sanctæ & provinciarum amissarum. Ubi tamen attendendum de hac re prudentissimum Caroli IV. judicium, quod recenset ex Dubrav.

Dubrav. Zvvinger. in theat. volum. 7. lib. 4. p. 1923. quem cum Rodolfus Saxonie dux ad Hierosolymam recipiendam hortabatur, maximè cum pestilentie vi Orientem prope hominibus exhaustum esse constaret: Occidentis verò vires, illum unum concordibus animis secutura viderentur. Tunc Carolus, præclarum quidem institutum hoc fore, sed à multis ante se Principibus infelicitè tentatum, ab aliis feliciter quidem, cæterum propter successorum ignaviam magno sudore parca, brevi ab impiis denuò recepta fuisse. Neq; ullam vel recuperanda vel retinenda terre sanctæ rationem fore, nisi prius id agatur, ut imperium Orientale à perfido Græculo possessum occidentali jungatur. Immo verò etiam bellum recuperationis ergo institutum non facile suscipi debet, ne major sit presentium expensarum erogatio, quàm absentium recuperatio, ne minima commoda non minimo sectemur discrimine, atq; sic aureo piscatura fiat hamo ex dicto August. apud Sueton. De bello verò inferendo alius, ut amplifictur regnum absolutè negamus. Inferre enim bella finitimis & inde in cætera procedere, ac populos sibi non molestos sola regni cupiditate conterere, quid aliud quam grande latrocinium nominandum est. Hinc rectè Alexander M. qui sola ambitione gloria & libidine regnandi bella gessit, à Lucano & Seneca vocatus orbis terrarumq; prædo, ut verè de eo liceret nature finibus inscribere. Hucusq; bellabundus, id est, latrocinabundus pervenit Alexander, quod crimen latrocinii etiam eidem festivè objectum à quodam Pirata, quem cum quereret Alexander. Quo scelere impulsus haberet mare infestum uno myoparone (quod genus est naviculæ piraticæ.) Eodem, inquit, quo tu orbem terra. Cicero lib. 3. de Republ. apud Nonium Marcellum. Ejusdem latrocinii arguit Romanos villanus quidam accola Danubii oratione elegantissima & mirè pathetica, quam descripsit Guevara in horolog. Princip. lib. 3. c. 3. 4. 5. ubi inter alia. Vos Romani insignis vestris pro simbolo usurpatis hæc verba, Romanorum est

Parcere subjectis & debellare superbos

Sed rectius profectò diceretis Romanorum esse

Innocuos spoliare & perturbare quietos.

Nihil enim aliud vos Romani estis, quam populorum quietorum perturbatores & raptores sudoris ac laboris alieni. Ejusdem latrocinii accusamus nos Hispanum in invasione & possessione Novi

E

Orbis

Orbis. Nullam aliam causam invadendi habuit miseros Indos, quam ut regnum suum amplificaret, titulus ejus numero cresceret, & auro regnum ditaret. Num Philippus inficiari potest, ait Dominic. Baudius in orat: ad Regem Angliæ Jacob. Quin sub ejus imperio & ditione perditissimi latrones isti nullo jure, pessimo publico & metuendo cunctis nationibus exemplo regna & imperia per vim invaserint, per vim pacificis possessoribus eripuerint, quæ nunc apud ipsum, tanquam optima lege questum patrimonium subsident. Neq; est ut excipiant Hispani, primò quod ratio doceat, populos, qui ferarum modo magis quàm hominum viventes, sine ulla omninò religione sunt, quasi piratas communes hostes omnium bello persecuendos & in hominum mores conformandos esse & insuper jus gentium velit, quæ bona nullius sunt, fieri occupantium. Secundò quòd hæc fecerint justa religionis Christianæ propagandæ titulo. Contra. Primò enim infideles non esse rerum suarum dominos, credere hæreticum est. Hugo Grotius de mari libero cap. 2. Infidelitas enim non tollit jus humanum, unde rerum dominia descendunt. Secundò infidelitas non est justa belli causa, ut propterea invaderentur Indi. Arma enim non sunt sumenda propagandæ religionis causa. Waremund. ab Ehrenb. de foederib. lib. 1. cap. 2. num. 16. nec bellum propter infidelitatem inferendum. Idem lib. 2. num. 77. Rationes varias vide apud Reinhard. Ronigk in theatr. polit. part. 3. c. 3. num. 19. & seqq. Hoc quidem largimur barbaras gentes subigendas esse, & qui nullius imperio antea parebant, in certam regiminis formam redigendas. Non autem Princeps libidine dominandi, aut regnum amplificandi invadere barbaras nationes debet. Id quod tamen non alio consilio fecit Hispanus, quam propter magnam nominis famam & sacram auri famem. Quemadmodum enim olim Romani regiones illas ne tentabant quidem, ex quibus nihil sperari poterat commodè; sic hodie Hispanorum unicus scopus in omnibus expeditionibus est aurum, quod exinde Indi Christianorum Deum vocant. Lans. in Consult. contra Hispan. p. 401. Hæc omnia ut magis roborentur placet addere ipsa verba hominis Hispani Bartholomæi Casai Episcopi, qui in narratione sua de regionum Indicarum per Hispanos devastatione, sub finem libri hæc verba habet: Rubore suffundi deberemus, quod omni timore Dei remoto tam execrandis facinoribus colorem addere & ea excusare tentemus, cum præcipuè cernamus nos (Hispanos nempe) quadraginta octo anno-


rum

rum spatio regiones majoris longitudinis, quam sit tota Europa & pars Asia ob hanc causam, ut divitias consequeremur, destruxisse, eas terras depradantes, & omni crudelitate, injustitia & tyrannide occupantes & usurpantes, quas humanis habitatoribus & incolis refertas vidimus, & in iis ultra viginti hominum milliones periisse certò scimus, refert Keckerman. in polit. lib. 1. c. 4. Hec Hispanus ille candidè scripsit. Sunt tamen alii, contendentes per divina & humana jura, Hispanis licuisse immeni licentia in Indos grassari, inter quos fuisse Gensium Sepulveda refert Thuanus lib. 55. Nos ut concludamus. Bellum Hispanorum illatum Indis apertum fuisse latrocinium statuimus. Nihil enim aliud Hispani interrogati respondere possunt, cur Indiam invaserint & jam possideant, quam quia invasimus & possidemus, qualis responsio est prædonis apud Ulpian. l. 12. D. de hæredit. petit.

XI.

Pertractatis specialibus modis Amplificandi Politicis, accedimus ad modos generales, quorum naturalis est Coloniæ deductio.

Ob causas certas præmissimus modos speciales in finem reservatis generalibus. Hi enim sine illis præcognitis non benè adedè intelligi possunt. In Coloniæ deductioe concurrunt externum incrementum cum interno, unumq; alteri suffragatur. Besold. in polit. lib. 2. c. 8. n. 46. Itaq; in specie de incremento interno & externo prius agendum erat. Hoc verò hic probandum nobis incumbit, in coloniis concurrere incrementum externum cum interno, quod ex sequentibus facile liquebit. Rectè Lipsius in admirand. magnitudinis Urbis Romane notam & miraculum Coloniæ fuisse demonstrat. Primò enim, si spectetur populi multitudo, Coloniæ propterea deducuntur, ut si nimis crescant subditi, transferantur in alium locum, quæ deductio Coloniæ est, nimia enim populi superfluentis frequentia alios ad exonerandas urbes emisit, ut ait Seneca de Consol. Qua in re consilium hoc Coloniæ politicum desumitur à Medicis, ut superflua multitudo, tanquam abundus sanguis, emittatur. Et quemadmodum multi liberi arguunt fecundam matrem, sic & coloniæ demonstrant urbem populosam, ex qua deductæ, quæ propterea & metropolis dicitur,

quasi urbium aliquarum mater, ex qua nata Colonia, quae tanquam filia.
 Sicuti & Hebraei vocant metropolin  matrem 2. Sam. 20. v. 19. &
 Jerem. 15. vers. 8. & oppida pagos, villas, quasi filias majorum civitatum
 מְבָרָה Judic. 11. v. 26. Ezech. 32. v. 16. & 18. Quadruplex autem est Co-
 loniarum deducendarum ratio, Bodin. in method. histor. c. 9. p. 327.
 Primum enim incolae saepius viribus hostium expulsi sedes alias quaerunt. Se-
 cundo propter abundantem multitudinem, inopiam agrorum & intempe-
 riam caeli colonia deducuntur, Tertium genus coloniarum est in captivis
 abducendis. Postremum fit imperii propagandi ac tuendi causa susce-
 ptum, quo potissimum usi sunt Romani, tum ut civitatem domestica sedi-
 tione liberarent, tum etiam ut victos populos in fide & obsequio retine-
 rent, atque haec una causa est, cur imperium illud tam longe lateque propaga-
 runt. Ita quoque Genuenses in Tauricam Chersonesum Coloniam Theo-
 dosiam, quae Capha dicitur. Veneti in insulas Hispani in Americam &
 Indiam colonos deduxerunt. Hanc ultimam coloniarum deducendarum ra-
 tionem hic intelligimus, cum haec maxime faciat ad amplificationem Rei-
 publ. Secundo metropoles magnam pecuniae summam ex colonis congre-
 gare possunt, quod comprobatur annua pensio, quam singulae coloniae populo
 Romano pendebant. Alexand. ab Alexandr. lib. 4. cap. 10. Etsi ve-
 ro non inviti fateamur, hunc modum amplificandi hoc nostro seculo non
 esse practicabilem, cum coloniae non ita jam possint fieri, tamen ejus men-
 tio hic facienda erat, cum eo olim multae creverunt Respublicae, maxime
 Romana. Cur vero coloniae huius seculi nostris non ita frequentes deduci
 possint, rationes inter alias dari possunt haec, quod homines non tam sint fec-
 cundi, nec ita vivaces, ac olim. Vide Keckerman. in Curs. Philos. di-
 sput. 35. quaest. 5. adeo ut vix locum, in quo habitant, explere possint,
 tantum abest, ut propter multitudinem & abundantiam in alia loca
 transferri possint. Maxime tamen consultum est, colonias ducere in illam
 gentem, quae bello victa & subacta est, quod Romani observarunt, qui in
 eo genere civitatum moderandarum disciplina populos omnes ac principes
 superarunt Bodin. lib. 6. de repub. cap. 2. pag. 1007. quamvis in lo-
 cum coloniarum substituta sint à quibusdam Fortalitia vel perpetua mi-
 litum praesidia, minus bene, ut in eodem loco probat Bodinus, qui vi-
 deatur.

Modus Amplificandi Rempublicam supernaturalis dependet ex benedictione DEI, quæ hic paginam utramq; facit.

Ut alii multi incrementa & decrementa Rerumpublicarum ex factis Chaldaico & Stoico partim impiè, partim vanè deducunt; Sic nos ea magna DEI OPTIMI-JUSTI Providentiæ & benedictioni Christianæ adscribimus. Deus enim & primas & secundas & tertias tenet in gubernatione Politiarum, quarum ab initio diximus considerandos quatuor status. Foundationis, Conservationis, Amplificationis & Interitus. In his omnibus potenter & mirabiliter agit. Deus ipse autor est fundandæ Rempublicæ, in ejus manu enim est gubernatio Politiarum, Syracid. 10. v. 4. ipse dat regna, cui voluerit, ut agnoscant viventes, quod dominetur excelsus in regno hominum & abjectissimum hominum constituat super illud Dan. 4. v. 17. & 25; adeò, ut reproba sit sententia Magni Temur Chan. qui ad Bajasatem dixit. Ab India finibus ad Sivastem usq; Regem me Deus constituit, à Sivaste ad Ungarorum usq; limites tibi Deus regnum donavit, quod si mundus hic, apud justum illud numen aliquo esset in pretio, sanè dedisset eum aliis, quam mihi, qui claudus sum & tibi, qui mancus es. Nimirum sanctus & beatus hominibus eum tribuisset, ut refert Leunclavius. Ille ipse Deus Politias conservat. Omnes enim politia sunt sicut ruinolæ domus, quas Diabolus conatur demoliri, sed Deus eas fulcit, quo refer custodiam Angelorum, quos singulis provinciis certos ordine Deus prefecit, ut pia est sententia multorum Philosophorum & Theologorum præstantissimorum. Videatur Besold. in pentade dissert. Philolog. De angelis seu geniis Imperiorum. Ut verò fundanda Politia à benigna Dei voluntate, ut conservatio ab ejusdem protectione: Sic ejusdem amplificatio à largissima Dei dependet benedictione. Omnes verò modos, quibus Deus Politia benefacere & benedicere potest, numerare & recensere quis poterit? Est enim profunditas divitiarum Dei inenarrabilis. Nos hîc paucos perstringemus, cæteros pî Rerumpublicarum moderatores singulis diebus, dierum horis, horarum momentis cum devota gratiarum actione observabunt.

bunt. Semper enim nova sunt gratia Domini & manus ejus non est de-
cortata. Ut populum numerosum faciat, ceu arenam maris & stellas cœ-
li potest mulieres reddere fecundas, ceu multiplicavit filios Israelis in A-
gypto, qui fecundaverunt & abundè progenuerunt (more piscium) atq; ad-
aucti sunt, & corroborati quamplurimum, adeò, ut terra impleretur ipsis
Exod. 1. v. 7. Contra si Rempubliam deplere vult populo, quàm facile
potest immittere bellum aut pestem, de quibus rectè dici potest,
quod Athenienses de Ostracismo dixerunt, quod purgent civitatem.
Secundò si vult ditare Rempubliam Deus, modis id potest innumerabili-
bus. Deus enim magnus thesaurarius & Gazophylacium ejus inexbau-
stum divitiarum promptuarium. Ille ex ditissimis montium scriniis (ex
metallifodinis, que eleganter Johan Arndt ad Ps. 104. vocavit Bot-
tes Schatzkammer) per magnos auri, argenti, metallorumque omnis-
generis optimorum thesauros largiri potest, silvas multitudine ferarum
stipare, olivos frugibus ac vineis beare, & omnibus omninò rebus be-
nedicere. Ille imperii fines propagare potest. Ille enim desinit termi-
nos imperiorum. Act. 17. v. 26. Hinc ergò viri Principes & Rerumpu-
blicarum gubernatores deducite felicitatem imperii vestri. Quamdiu que-
sivit Huzzia Rex Jehovani, secundavit eum Deus 2. Chron. 26. v. 5.
Hinc viri Politici discite, non tam prosperum successum in Republica ad-
ministranda à vestris prudentissimorum consiliorum arcanis (quamvis &
his multum tribuendum, denn wenn die Gewaltigen flug sind / so ge-
deyer die Stadt. Syracid. 10. v. 3.) sed à benedictione Dei, quæ
sequitur observationem præceptorum ejus. Unde totum depen-
det Politicæ Prognosticon, argumento Deuteronomi cap. 28.

XIII.

Et hi sunt præcipuè modi amplificandæ Po-
liticæ legitimi, illegitimos suo relinquimus loco
& eos remittimus ad eorundem magistros versu-
tissimos (quos vulgò vocant politische Köpffe)
plures possunt ex historiis peti, quibus augmen-
tum sumferunt & olim & nunc Respublicæ.

Commodè

Commodè pro hac sententia Livius. In historia omnis exempli documenta intueri potes, indeq; tibi tuaq; Reipubl. quod imiteris, capere inde fœdum inceptu, fœdumq; exitu, quod vites. Illa enim monstrat, quæ vita, qui mores fuerint, per quos viros, quibuscunq; artibus domi militiq; & partum & auctum imperium sit. Potissimum hic legenda historia Reipubl. Judaicæ, tanquam quæ sacra fuit; Romana, quæ magna, quæ omni genere mirificorum exemplorum totum orbem replevit Valer. Maxim. lib. 2. in quibus prudenter observanda incrementa, decremента & eorundem modi. Maximè autem erui possunt artes Romani imperii aucti ex Livio, qui eosdem quasi digito monstravit, ut notat Facius in polit. Liviana p. 8. Unde & Veneti Romani imperii amuli ejusdem rationem exactissimè tenent, quomodo natum sit, quomodo creverit, quid rectè, quid vitiose in eo admissum, & non solum ossa Titi Livii Patavini servant, verum etiam ejus monumenta diligentissimè habent cognita & meditata ut scribit Philipp. Cominæ. lib. 2. de bello Neapolitan.

XIV.

Sed finis esto cum hac cautela necessaria, ne nimium amplificetur Respublica. Videmus enim Helvetiorum ac Rhatiorum civitates, quæ imperii propagandi nullam curam habent, præclare imperium tueri. Bodin. de republ. lib. 6. c. 4. p. 1121. Nam mediocritas melius tuetur Rempublicam, quam nimia opes, quæ socordem efficiunt Rempublicam & superbam. Plato lib. 4. de republ. quo tendit illud de Venetiis vulgatum. Prima pompa parva fuit & ibi sunt factæ venetiæ, deinde fuit mediocris, tum creverunt Venetiæ, deniq; maxima fuit, in quâ iterum Venetiæ everfæ. Quemadmodum enim corporis Cacohymici incrementum est hydropis prognosticon (ut in eadem finiamus allegoria, in quâ incepimus) ita Reipublicæ interitura signum est nimium ejus incrementum, quo tanquam medio Deus quandoq; utitur, ut ortæ Respublicæ secundum legem rerum omnium humanarum iterum intereant.

DEO SUMMO MONARCHÆ GLORIA,
cujus regnum est regnum æternum & domina-
tus ejus cum omni ætate: ut fatetur ma-
gnus Nabuchodonosor.

Ad



Ad præstantissimum & litteratissimum
Dn. Respondentem.

Magnus Aristippus quondam, discrimine quanto
Doctus & indoctus distarent, scire volenti
Responsi dedit hoc: Terras modò adire jubeto
Utrumq; ignotas nudum: res ipsa loquetur.
Scilicet ille probè cognoscens, vivere possit
Advena quæ ratione, sibi mox junget amicos
Ingeniò facilè fidos. Indoctus at alter
Fastidio cunctis erit, hunc & tristis egestas,
Et male-suada fames franget maciesq; suprema.
Hoc tu perpendens animò, doctissime JANE,
Quæ ratione quæas vitam traducere dignè
Inter mortales, & famam extendere factis
Claris, nunc satagis studiò cognoscere multò.
Hanc insiste viam, nec te patiaris ab illà
Deduci: poteris siquidem sic Advena terras
Ignotas lustrare, tuumq; extendere nomen
Factis. Nam tentanda via est, quæ te quoq; possis
Tollere humo, celebrisq; virùm volitare per ora
Doctorum: tanti deerit nec gratia facti.

JOHANNES AVENARIUS,
Eloqv. Prof. pub.

F I N I S.



Wittenberg. Diss., 1613/23

ULB Halle


3


002 673 304



V. 17







103.
105.

29
1623
38

Quod felix sit.
De
AMPLIFICATIO-
NE RERUM PUBLI-
CARUM,

DISPUTATIO POLITICA,

SUB PRÆSIDIO

Cl. & Consultissimi

JOANNIS AVENARI, J.U.L.

Eloq. P. P.

Publicè proposita

â

JOANNE MOCHINGERO
DANTISCANO.

In illustri WITTEBERGA

eventilabitur

in Auditorio maximo horis matutinis

ANNO 1623. die 4. APRILIS.

WITTEBERGÆ,

Exscripta typis CHRISTIANI THAM, Acad. Typogr.

ANNO M DC XXIII.

